

Tusc. I. 20. Nos ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus; neque enim est ullus sensus in corpore: sed, ut non solum physici docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt, viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatae. Itaque saepe aut cogitatione, aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris et oculis et auribus nec videmus, nec audimus: ut facile intelligi possit, animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sunt animi, quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat, ut adsit. Quid, quod eadem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quae nunquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, ut idem omnium judex solus esset.

Sensus quinque (Nat. Deor. II. 56, 57, 58, vid. infra).

Leg. I. 9. Ipsum hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornavit, sed etiam sensus, tanquam satellites attribuit, ac nuntios: et rerum plurimarum obscuras intelligentias enodavit, quasi fundamenta quaedam scientiae: figuramque corporis habilem, et aptam ingenio humano dedit. Nam quum ceteras animantes abjecisset ad pastum, solum hominem erexit, ad caelique, quasi cognitionis domiciliique pristini, conspectum excitavit: tum speciem ita formavit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur: et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse, praeter hominem, potest, indicat: cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates, habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis.

De orat. III, 25. Difficile dictu est, quaenam causa sit, cur ea, quae maxime sensus nostros impellunt voluptate, et specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine